7461. bb. 17

DISSERTATIO THERAPEUTICA,

QUÆDAM DE

REMEDIIS DIURETICIS,

COMPLECTENS.

DISSERTATIO THERAPEUTICA,

QUÆDAM DE

REMEDIIS DIURETICIS,

COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES WILSON, *A. M.*

SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXXVIII.

Viris jure celeberrimis,

GULIELMO CULLEN,

Atque

JACOBO GREGORY,

Medicis Solertiſſimis,

Ambobus

In Academia Edinburgena

Conſummatiſſimis Medicinae Profeſſoribus,

Societ. Reg. Edin. Sociis,

&c. &c. &c.

Animi, haud ficte

Beneficiis compluribus acceptis

Tacti,

Praetenue ſignum;

Itemque,

Itemque,

Amico suo probo et fidissimo,

JOANNI MACARTHUR,

DE SHAWLANDS;

Chirurgo

Acceptissimo Aegris, aeque ac utilissimo;

Viro,

Quo, nec vitae integriorem ullum,

Nec observantiorem aequi,

Facile invenies;

Illius tantae sibi habitae fiduciae

Sensus sui

Monumentum;

Hocce Tentamen Inaugurale,

Summa observantia,

D. D. Cq.

JOANNES WILSON.

Samuele Allwey M.D.

Amico spectato & sibi carissimo

cum hocce, quidem tantillo,

Amicitiae pignore,

Singulis stranda atque prospera

vovet

Joannes Wilson.

DISSERTATIO THERAPEUTICA,

QUÆDAM DE

REMEDIIS DIURETICIS,

COMPLECTENS.

CUM primum mecum ſtatui, quaedam et quaſi carptim de remediis, Diureticis dictis, differere, haud ex re fore putabam, ſi prius renum deſcriberem ſtructuram eorumque uſum, quam inciperem.

Renes, ut plurimum bini, in regione lumbari extra Peritonaei cavum ſiti ſunt. Singuli utrique ſpinae lateri, ſpuriam inter coſtam infimam atque criſtam Oſſis

Ilei ſuperiorem ac poſteriorem, haerent. Dexter ſaepe ſiniſtro aliquanto inferior, aliquando vero ambo in eodem plano reperiuntur. Ren, ad figuram quod attinet, phaſeolo haud multum abſimilis eſt, cujus longitudo ſemet tranſverſe emenſum nonnihil exſuperat. Margo concavus ad lumborum vertebras, extrorſum vero et ad muſculos abdominis convexus, ſpectat. Facies anterior aliquantulo minor poſteriore atque planior, et extremitas ſuperior magis incurvata, ſimulque craſſior quam inferior eſt. Nullam accipit tunicam ex Peritonaeo, quod, interveniente tela cellulosa, ſuperficiem anteriorem tantum ſupergreditur. Renes multo adipis, tunicae in cellulas adipoſae, ut dicitur, depoſiti, inveſtiuntur; eo defenduntur praecipue et foventur. Haec tunica vaſa apud ingreſſionem renalia arctius amplectitur, tamen ſuum per decurſum minime deducit. Tunica renis propria, adipoſa ablata, nitida et laevis prodit in conſpectum: Subſtantiae ejus arcte adhaerens ad marginem concavum inflectitur, ac in capſulae morem, vaſa et ſanguifera comitatur, et urinifera omnes per ſuos ſinus: Firme adnectitur inſuper ureteris origini et pelvi; tubuloſque demum omnes inter ſeſe conſtringit.

Haec

Haec textu cellulofo denfato conftare videtur membrana; nonnulli vero tunicam congenitam putant.

Ren in foetu et recentius natis ex lobulis, nec femper in omni corpore quoad numerum iifdem, conflatur. Hi non, nifi membranae laxae ope cellulofae, fibi invicem adhaerent. Annis aliquot lapfis omnes adglutinantur, firmiores fiunt, et vifcus folidum, unius formae atque coloris pallide rubri, conftituunt. Cultri ope per longitudinem convexum fecundum marginem incifus duas fubftantias, invicem diffimiles, plane oftendit; eas appellant Anatomici corticalem et partem medullofam, quippe quae cerebrum quodammodo fimulent. Ifta vero nomina fingulis tantum conveniunt lobulis, ex quibus hoc organum primo conftituitur; fubftantia enim corticalis in rene adultorum profundius petit, ac multis in locis fefe cum medullofa commifcet. Partis color exterioris fubalbidus feu cinereus eft; et rectius fecernens five vafcularis dicitur. Quae fubtus prae fe fert rimanti Anatomico, eft portio tubularis, falfo medullofa dicta; coloris eft rubelli, atque radiorum fpeciem praebet. Radii ex tuberculis prope marginem convexum

convexum ſuboriuntur, dein introrſum vergentes, quod ſubſtantiam renis tertiam ſeu papilloſam vocant, id effingunt. Haec portio papillis conſtat, et profecto nihil eſt aliud praeter tubulos continuatos. Papillae numero variant. Decem aut duodecim cuivis reni ut plurimum inſunt: Reſpondent, ut fertur, lobulorum numero, qui in rene foetus reperiuntur. Earum quaevis plurimos tubulos accipit uriniferos, et in apices obtuſas, orificiis donatas exiguis, oculo tamen inermi videndis, definit. Una pluresve calice uno, ſive infundibulo, excipitur; caliceſque varie inter ſe conjuncti demum in cavum renis, pelvim dictum, hiant.

Conſilium, quo datur ſtructura papillaris huic viſceri, eſt, ne regurgitet urina, prohibere: Papillae enim valvularum vicem explent, et tanto arctius occluduntur, quanto infundibula aut pelvis magis completur lotii.

Pelvis conicus eſt; a vertice ejus enaſcitur canalis, Ureter nomine, qui, pone peritonaeum deorſum reptans, ad veſicam urinariam pervenit, in cujus cavum, ſpatio prius inter tunicas emenſo, hiat.

Arteriae

Arteriae renales ex aorta utrinque oriuntur. Utraque unico plerumque ramo ad renis ſulcum tendit; poſtea vero ramulos infinitos per totum viſcus diſpergit. Venae arteriis reſpondentes ſanguinem, poſtquam lotium ſecretum fuit, reducunt, atque cavae inferiori ſeſe adjungunt. Arteria dextra longior ſiniſtra, et vena ſiniſtra longior renali dextra eſt, quorum ratio omnibus patet. Renes ſuos nervos a plexibus ſibi propriis obtinent. Vaſa emittunt lymphatica, quae alia ex citimis ſibi adciſcunt, ductumque verſus thoracicum contendunt.

Renes, ut unicuique pernotum eſt, urinae ſecernendae ſacri ſunt. Intima vero eorum ac caeterorum ſecernentium organorum fabrica adhuc nos quodammodo latet [a]. Neque quidem melius intelligitur, qua ratione

[a] Clariſ. Profeſſor Monro fluidum coloratum renalem per arteriam in tubulos uriniferos injicere valuit. Audi verba, quae ex epiſtola ab eo ad Doct. Home miſſa excerpenda curavi, "I had long ago found "it poſſible to make an injection, coloured with vermilion, paſs from "the renal artery into the uriniferous tubes when there had been no "previous diſeaſe of the kidney;" *Dr Home's Clinical Exper. p.* 311.

ratione aut mutetur, aut ſubigatur ſanguis, ut ex glandulis diverſis diverſi prodeant humores [a]. Hac de functione varia ac abſurda ſibimet finxerunt Iatromathematici et Chemici. Si tempus me ſineret, ſive talibus res egeret, exempla id genus quamplurima prodere poſſem; ex uno diſcite omnia; "adeoque quaecunque "fuerit figura partium fluidi minimarum, poterit ta-"men fluidum illud ſeparari in rene, niſi quid aliud "obſtet. Obſtat vero, vel obſtare poteſt, ſola anguſtia "orificiorum cribri renalis; quae non permittit, ut li-"quor viſcidior, qualis eſt bilis, quamvis cuivis figurae "ſe accommodans, impelli poſſit in ſinum ejus. Et "hoc eſt myſterium ſecretionis [b]." Nec conjecturae Chemicorum, qui ſecretionem ad fermenti effectum referunt; neque attractio humorum electiva diverſorum, quibuſcum glandulae primitus imbutae fuiſſe dicuntur, firmiore nituntur fundamine, aut nos difficultatibus expediunt.

[a] "The organs of ſecretion are not mere ſieves, but poſſeſs feeling "and activity, without which they are incapable of performing their "proper offices;" *Monro's Obſerv. on the Nervous Syſt.*

[b] Vid. Pitcairn. Element. Med. lib. 1. cap. 10.

pediunt. Hae omnes theoriae actionem mechanicam et chemicam nimis olent, dum simul vitalem, sive qua gaudent animantes, penitus abstrudunt; memoria autem semper tenendum, multa huic principio vitali et isti fluidorum mutationi in glandulis intereſſe. "Ne- "que profecto," ait ingeniosissimus Profeſſor, "dubi- "tandi locus est, secretionem pariter ac alias corporis "functiones, quodammodo pendere a principio vitali, "viribusque illis corpori vivo propriis, quamvis parum "intellectis; neque ideo solis principiis mechanicis aut "chemicis explicandam esse [a]."

Quamvis urinae partes constituentes plerumque reperiuntur in sanguine tam perfectae et integrae, ut corpore sano non, nisi secretio seu separatio simplicissima requiratur, quo pura et sincera prodeat; nonnulli tamen dubitarunt et quaesierunt, num praeterea, aliquod mutationis in eam ab renum actione semper efficiatur, necne? Hoc enimvero manifestum fieret, si tantum pro certo haberemus, saporem dulcem et urinae odorem

[a] Vid. Conspect. Med. Theoret. § 710.

odorem peculiarem, in Diabete Mellito redditae, minime in ſanguine ſerove ante ſecretionem extitiſſe. Utrobique autem de hac re trahunt et opinio et experientia. Ingenioſus Doct. Dobſon ſe ſanguinis, ex Diabetico detracti, ſerum inveniſſe aliquatenus dulce, affirmavit. Contra, paulo ſecius evenit in periculis, quae a Doctiſſimo Profeſſore Home facta eſſent; quippe, in caſibus Diabetis Melliti duobus ab eo, in Noſocom. Edinenſ. adminiſtratis, et in Experimentis Clinicis exſcriptis, ſerum foras miſſi ſanguinis linguam nullo dulcedinis ſenſu afficiebat. Profeſſor, hoc non obſtante, ex aliorum ratione habita, opinari videtur, ſaccharinum urinae ſaporem, licet parum notabilem, in fluidorum maſſa communi in vaſis circumeuntium exiſtere [a], quod quidem veriſimillimum ipſe exiſtimo. Scire tamen juvat, renum actionem variis poſſe affici remediis, quibus non ſolum organorum urinae morbis, ſed ſaepe etiam totius corporis, ſuccurratur.

Sic

[a] Vid. Clinical Experiments, pag. 309. quam cum pag. 318. conſer.

Sic ad rem hujus dissertationis propriam perventum est, in qua, 1*mo*, De remediorum urinam cientium actione dicam; 2*do*, Efficaciſſima quaeque enumerabo; et 3*tio*, Morbos aliquot, in quibus aptius adhibita sint, subjiciam.

De modo, quo agunt Diuretica.

Ea ſtrictius Diuretica voco, quae urinae movent copiam, ſupra id quod fluidorum aſſumptum eſt.

Cum ſanguinis nimiae ſpiſſitatis doctrina inter medicos praecipue floreret, iis ſolenne erat, Diureticorum actionem referre ad vim fictam attenuantem. Quoniam autem ſumus certiores facti, circumeuntes multo minus, quam vulgo perhibitum eſt, huic obnoxios humores vitio eſſe; et porro Diureticorum vim humores potem rarefaciendi eo tenuitatis uſque, quae talem ad diureſin ſatis ſit exſequendam, qualem haud raro videre eſt, iiſdem multam injuriam allaturam eſſe, oportet alii agendi modo eorum virtutem attribuamus.

Inſuper,

Inſuper, nonnulli auctores, iique magni etiam nominis, Diureticorum ut et Catharticorum effectus alicui virtuti deobſtruenti, qua praedita ſunt, imputarunt. Et ſane nil dubium eſt, quin ea in removendis impedimentis, quae parciorem reddant ſecretionem, magnopere aliquando proſint. Hoc vero beneficium omnino fere tribuendum eſt viribus eorum ſtimulantibus, quae derivationem ſanguinis et vis nervoſae obſtructam partem verſus adaugeant, ideoque impedimenta auferant.

Nunc temporis omitto theorias alias huc ſpectantes, quas plurimas Medici olim prodiderunt, adque unam multo veriſimiliorem conſiderandam progredior.

Diuretica, ad actionem quod attinet, duas, ni fallor, in claſſes partiri queant: Eam, ſcilicet, 1*mo*, Quae ſalina et acria habet; et, 2*do*, In eam, quae ſimplicia complectitur diluentia. Illa, quae ad proximam claſſem referre Medici ſoliti ſunt, improprie, mea ſententia, Diuretica dicuntur [a]. Copiam quidem urinae interdum adaugent,

[a] Vid. Dr Duncan's Elem. of Therapeutics, p. 50.

adaugent, atqui rarius ſupra fluidorum quantitatem, quae aeger jam antea hauſerat; et quod lotii excretum eſt, id perſaepe latice epoto non parum excidit. Rationem idcirco oportet, qua agunt medicamenta Diuretica, ſi ita dicenda, quae ſub hoc capite enumerantur, naturali ſeu ingenito renum molimini referamus, quo fluidi certam aquoſi quantitatem exhauriunt ſanguine: Etſi quantitas inde exhauſta rarius abundantior, perſaepe parcior, quam quae aſſumpta, reperitur. Simul admittendum, multo potu imprimis frigido hauſto, ſtatim fere, ſaltemve antea ad renes via ſolita eum delatum eſſe quam facile putare poſſumus, urinam copioſius ſecerni. Hoc autem, ut judico, vel ex ſtimulo renibus per partium conſenſum impertito, vel perſpiratione cuticulari ſubito repreſſa, pendet. Inter medicos jam bene conſtat, mirum conſenſum ventriculum inter variaſque corporis partes intercedere. Is inter Stomachum et Renes obtinens in multis vitiis, et illum et hos afficientibus, perinſignis obſervatur. Itidem conſentiunt Renes aliaeque partes, verbi gratia, ſenſorium et omne quidem genus nervoſum; quo fit, ut certa mentis pathemata urinae ſecretionem nec raro praeter ſoli-

tum

tum movent. Altera, poſt hauſtum frigidum, tam ſubiti urinae fluxus cauſa, quae tradita, eſt halitus per cutem repreſſus, propter ſpaſmum ſuper vaſa extrema, ſeu exhalantia, inductum: Inde enim fiet, ut derivatio ad partes interiores, reneſque inter alias, obtinuerit, quae vaſis ſtimulo ſit, atque actionem et vim eorum ſecernentem intendat. Huncce nexum inter ſtomachum et cutem intercedentem multis in morbis, et febribus praecipue, clarum cernere eſt. Quoniam, vero, de iſtiuſmodi genere, aut conſenſus modo, nihil fere adhuc novimus, connexiones tales hic ſilentio praetereo. Attamen res ipſa probabilior cuique fieri poterit, ſecum reputanti quantae differentiae copiae urinae ſecretae intercidant cum adhuc corpus tam caleſcat, ut meatus ſuperficiarii multum laxati, vel ita frigeſcat, ut omnino compreſſi fuerint. Cum enim corporis calore externo et exercitatione vehementiore ſuperficies caleat, ejuſque compages quaſi laxetur, exhalatio per cutem inde praeter ſolitum promovetur, et ſimul urina vix, Diureticis etiam probatiſſimis datis, copia ſolita nedum majore provocari poteſt. Contra, aër frigidus, quies vel exercitium modicum, ora exhalantium et fibras cutis ipſas

quae

quae conſtringunt, haud raro Diuretica quodammodo evadunt, et certe opus ejuſmodi remediorum maxime adjuvant, effectuſque reddunt certiores. Neque profecto cauſa obſcura; multum enim materiei ſalinae, acris, et graveolentis reperitur, cum halitu e cute vel commiſtum, vel ſolutum, cuique, ſpiramentis in ſuperficie oppilatis, non datur alius, niſi per pulmones, inteſtina, aut renes, exitus. Si autem ab ea exhalatione pulmones verſus curratur, bronchiorum membranae inflammatio, aliaque Catarrhi ſigna, vel halitus pulmonaris auctus, producitur; ſi ad inteſtina, Diarrhoea aut forſan Enteritis inſequitur: Sin denique renes verſus, aliquo caſu, qui, ut videtur, naturales ſunt binae januae ad acria et ſalina exportanda, curſus fiat, aut urinam copioſiorem, aut intenſius proritando, Haematuriam atque Nephritidem ipſam cient [a].

Ex jam dictis concludere ducor, potuum effectus diluentium, quantum ad diureſin pertineant, aut de mole aquoſi fluidi maſſae communi adjecta pendere, aut organorum

[a] Cullen's Firſt Lines, § MXL.

ganorum urinam ſecernentium actione adaucta, ex conſenſu enata, qui ſimul renibus et ventriculo vel huic et cuti interſit.

Salina et acria, alteram quae conſtituunt claſſem, rite, ut judico, Diuretica ſtimulantia nominata ſunt. Haec omnia, quatenus urinae copioſiorem ſolito ſecretionem, itemque fluidis aſſumptis ſaepe largiorem, excitent, quam illa jam dicta multo juſtius titulum Diuretica vindicant ſibi. Rectius ſtimulantia dicuntur, illam ob actionem ſeu effectum, quem in renes eorumque vaſa edunt; hos enim excitant, vimque ſecernentem mirum in modum intendunt; quibus fit, ut, in ſpatio temporis definito, non ſolum ſeparetur copioſius urina, ſed etiam plus ſanguinis determinetur ad renes.

Inter medicos antiquiores opinio fuit, quod certa medicamenta vi ſpeciali in certa organa atque humores prae aliis polleant. Haec autem doctrina inter recenſiores, quibus, cum de hoc tum de aliis majore cum veri ſimilitudine ratiocinari datum eſt, dudum magna ex parte obſolevit: Quapropter haud in animo mihi eſt,

eſt, Diuretica omnia, vel quidem multa, vi ſtimulandi vaſa renum ſola, neque praeterea alias corporis partes, praedita eſſe, affirmare: Contra, omnibus notum, aliqua eorum efficaciſſima plus minus vi ſtimulatrice totum ſuper corpus, et quaſdam praecipue glandulas, pollere; licet non in omni caſu eorum effectus evidenter percipiendi ſint. Si mihi viſum, haudquaquam oſtendere difficile eſſet, eadem in diverſis circumſtantiis medicamenta fieri Sialagoga, Diuretica, Sudorifica, aut Cathartica poſſe. Argentum vivum, de quo poſtea fuſius dicetur, verbi gratia, haec omnia effecta, pro aegri regimine et remedii adminiſtratione, aut ſimul aut ſeorſim, producere valet. Salium quoque plerique neutrorum, alio regimine inſtituto, et ſimul ratione doſios habita, Catharſin, alio Diureſin, alioque adhuc Diapho-reſin, exſequi poſſunt. Denique, herbae plurimae acres urinam movent aut alvum, vel eliciunt ſudorem, prout medicus maluerit.

Multi, organa urinaria, cloacam quaſi, ſeu emunctorium maſſae ſanguineae, eodem modo, quo inteſtina viſcerum chylopoieticorum, reſpexerunt. Utcunque

ſit,

ſit, pro certo habendum, per renes multum fluidi ſalinis, putridis, terrenis, acribuſque ſcatentis excerni, quae, aut lymphaticis ex ſuperficie vel cavis corporis omnibus, aut venulis, lacteis dictis, ore bibulo in inteſtinorum cavo patentibus, abſorbentur, et exinde in ſanguinis maſſam deponuntur. Si vel hoc, vel ullo curſu, ſtimulorum tantum flumen circumiens ingreſſum fuerit, quantum ex blando in aliud, quodammodo acre et pungens, fluidum mutet, oportet illa organa, quae lege a natura lata ad acria expellenda dicantur, proritari; et in motum violentum, pro ſtimuli ratione, rapi. Horum vero ſtimulantium effectus neceſſario eſt urinae ex renibus ſecretionem copioſiorem exigere.

Jam crebra animadverſione ſatis perſpectum eſt, copioſum urinae fluxum ultroneum exiſtere criſin haud paucorum morborum, inflammationum ſpecialiter, cerebri ejuſque meningum, hepatis, lienis, et aliquot febrium. Idem quoque ex vomicis ac ulceribus profundis in partibus variis evenire ſolet. Cuinam niſi noxiae et materiei acri abſorptae, et in ſanguinem delatae, hoc tribuendum eſt? Namque acria, aegro ſimul modice

frigido aëre verſato, ad renes natura devolvuntur, et una cum lotio evadunt: Aëre vero calido, exercitio paulo vehementiori uſurpato, aut humorum curſu quaſi ad cutem facto, cum ſudoribus colliquativis, (peſſimum fere ſignum), prorumpunt et aufugiunt. Annon acria varia et ſales, praecipue ſaccharum, quibuſcum in Diabete lotium tam ſcatet, urinae fluxum inſolitum, hoc praecipue malum deſignantem, faciunt? Pleriſque conceditur nunc cauſam veram et continentem hujus morbi eſſe aliquid vitii in aſſimulationis viribus, ſive concoctionis, exiſtens. Inde vero ſanguis non ſolum adcipit, ſed materiem acriorem et ſtimulantem ſecum circumvehit: Quo fit, ut renes praeter ſolitum concitati urinam multam atque dulcem effundunt. Morbi omnia phaenomena, aut fallor, hanc notionem firmant.

Pari quoque ratione, acria certa et ſalina per os aſſumpta, et intra maſſam humorum communem per vias lacteas ducta, corpus multo damno certe afficerent, ni emunctorium verſus, a lege conſiliis naturae inſerviente, propere determinarentur. Hinc autem, renes intenſius ea concitantia, ipſa non ſolum foras evadunt, ſed multum

tum etiam laticis ſecum aquoſi ſaepe evehunt. Talis autem, ni decipior, vera Diureticorum ratio eſt.

Si ab aliquo quaereretur, quonam pacto ſalina, acria, aliaque quidem extranea et ſtimulantia, ad renes verſus deferantur, quam alia organa potius ſecernentia, atque ab iis expellantur, illi nil reſpondere poſſumus, niſi quod primitus corpus a Deo opt. max. ita conſtitutum fuit. Renes urinam, et una acria, ſalina, &c. tam naturaliter eliminant, quam hepar bilem, vel ſemen teſtes.

Quantum qualitates fluidorum mutatae valent ad urinam provocandam, amplius adhuc, animadvertendo lactis ſecretionem et materiei perſpirabilis [a], illuſtraretur, ni ut ad aliud properandum eſſet.

Diuretica,

[a] Vid. Dr Cullen's Phyſiol. § CCLXXXIII.

Diuretica, quaenam et qualia ſunt.

In parte ſuperiore explicare modum conatus ſum, quo urinam moventia effectus ſuos praeſtant; nunc quae et qualia ſunt vulgatius praeſcripta, ea breviter memorare memet accingam.

Remedia, quae vi Diuretica praedita eſſe dicuntur, adeo numeroſa, ut vix quidem recenſeri queant. Illa diviſa habebo, quamvis forſitan parum accurate, in

Salina,
Acria vegetabilia,
—— animalia, et,
—— metallica.

Convenit

Convenit tamen omnium primo adnotare, Diureticorum efficaciam ſingulorum pendere de humore aquoſo, vel corpori in genere, vel ſpecialiter fluidis circumactis, inhaerente, ſimulque apto propriis viis excerni. Organa lympham ſecernentia, functione quaque corporis vigente, ipſa ad hanc rem ſatis valent; atque aquoſus magis abundans humor tantum efficit, ut ipſe, vel per renes vel cutis ſpiramenta, prout plus minuſve caluerit corpus, copioſius coletur. Hoc principio, ut alibi jam poſui, nituntur Diuretici diluentium ſimplicium effectus. Eo enim pacto, utpote cum aliquod adjiciatur parti humorum aquoſae, fit, ut organa urinaria magis intendantur, atque ſuperflua ſanguini aqua detrahatur. Huc referre ſolemus omnem potum, mitem, blandum, aquoſus ſit ſive mucilaginoſus, ſeu aquam puram, ſerum lactis recens, decocta tum herbarum, cum frugum inſipidarum infuſa, quarum profecto haud paucas ſcriptores de Materia Medica recenſuerunt. Eorum ſingula, etſi ſaepe videantur, materiem praebendo in quam agunt, plurimum actionem vere Diureticorum promovere, minus juſto inter urinam cientia annumerantur. Omnia igitur id genus non, niſi adjuvantia aeſtimans,

aeſtimans, ſupervacuum apud ea diutius morari cenſui.

Salina exiſtunt aut ſimplicia, aut compoſita, quorum nulla urinam virtute plus minuſve provocandi non praedita ſunt. Simplicia ſunt, Acida et Alkalina.

Ex acidis ſaepius praecipiuntur, et plus forſitan valent, vegetabilia; qualia ſunt ſucci nativi malorum limoniorum, fructuum et frugum aceſcentium, acetum, ſal ſuccini, qui olim multum laudatus, nunc autem fere neglectus. Acida foſſilia eadem vi pollent. Cum aquae multo diluta, hoc conſilio, frequentius porriguntur nitroſum et muriaticum.

Ex alkalinis, fixa ſaepius praeſcribunt medici, quae quidem optimos effectus nec raro praeſtant. Ejuſdem generis ſal geniſtae eſt et abſinthii, tartari et tabaci. Alkali volatile juſtius inter ſudorifica, quippe quod ad cutem determinet, plerique ordinant.

Ex

Ex neutris, ſive ſalibus compoſitis, maxima in uſu cohors eſt. Ad unum omnes, regimine idoneo ſervato, urinam movent: Melius autem huic inſerviunt conſilio alk. veg. nitrat. alk veg. ſupertartarizat. [a] alk. vol. muriat. alk. vol. acetat. &c. Hac quoque virtute praeditae ſunt ſoteriae aquae, tam calidae quam frigidae, quippe cum ſales neutros plerumque contineant. Huc etiam pertinent vina, inter quae Rhenanum maxime eminet; et cereviſia omnis jam vetuſta, et aliquid acredinis habens.

Acria vegetabilia, quae urinae fluxum movent, quam numeroſiſſima ſunt. Horum praecipua tantum recenſebo. Nicotiana, virtutes ob Diureticas, nuper laudis, juſto necne, adhuc ſub judice eſt, plurimum tulit. Satis compertum habemus, praeter vim narcoticam, vi quoque ſumme ſtimulante eam praeditam eſſe, et multum continere acredinis: Quapropter rite inter remedia Diuretica a ſcriptoribus eam recenſeri nullus dubito.

Miranda

[a] Vid. Dr Home's Clin. Hiſt. et Exper. p. 326.

Miranda Digitalis purpurea effeciſſe dicitur. In pleriſque vero caſibus, quos mihi cernere facultas fuit, ea neque multum profuit, neque ſemper ſatis apparuit tuta [a]. Folia ſubamari ſaporis ſunt: Nauſeam, et vomitum immanem ſaepe cient, pulſumque nec raro tardant.

Lactuca viroſa atque radix Colchici a multis, a nullo vero magis quam Collins et Stork, ad coelum laudibus feruntur. Illa forſitan Diuretica melius Germanicae quam Britannicae reſpondent conſtitutioni; ſin minus, quomodo incidit, ut tam ſaepe apud nos incaſſum exhibita fuerint?

Pareira

[a] Nec raro in Noſocomio noſtro Edinenſi Digitalem ferme incaſſum adminiſtratam vidi. Idem etiam frequenter novi aliis Medicis et Practicis accidere: Doct. IRVINE ingenioſiſſ. Chem. nuper Praelect. apud Glaſguam, et Dom. MONTEATH Chirurgiam ibidem feliciſſime exercens, hoc medicamentum in variis Hydropis exemplis exhibere, cum ſucceſſu fere nullo, ſaepe ſolebant.

Pareira Brava, a Geoffroy Gallico olim tam laudata, vix hodie inter medicos noſcitur. Doronicum Germanicum, Seneka, Raphanus ruſticanus, Dens Leonis, Geniſta, Sinapi; et Daucus ſylveſtris et Creticus, Allium, Eryngium, et, ne verbis tempora morer, plantae ſingulae umbellatae vim, quodammodo Diureticam, ſibi vindicant; ut plurimum vero haec parum valent, et ideo hodiernis a Medicis rarius praeſcribi ſolent.

Acrium vegetabilium ad lotium promovendum omnium forſan Scillae radix efficaciſſimum habenda eſt [a]. Illam cum Mercurio, ut poſtea dicetur, ſimul exhibitam remedium Hydropicis praeſentiſſimum ſaepe vidi.

Multa denique Balſama, veluti, Copaibae, Tolutanum, Gileadenſe, aquae per Diureſin copiam magnam haud raro educunt: Olea nec non eſſentialia, praecipue autem Terebinthinae et Juniperi, idem faciunt. Inſuper, urinam ex aliqua parte provocant ſpiritus quique

[a] Vid. Dr Home's Clin. Exper. et Hiſt.——audi quoque eximias Doct. Gregory Praelect Clin.

ſtillatitii; quibus adde cerevisiam tenuem, omnemque potum, qui vegetabilia acria, amara, et, ut nonnulli dicunt, astringentia, in se habeat.

Aeria animalia. Huc referuntur imprimis Cantharides. Jam diu omnibus licuit, eas totum corpus viasque specialiter urinae vehementer stimulare: At, cum incaute adhibitae, saepe injuriam ipsis renibus, itemque vesicae, nec facile reparandam inferant; usus earum cum summo periculo, certe incommodo aegri, stipatur. Ob effectus organis urinariis infestos, potius quam vis defectum stimulantis, rariſſime ad Diuresin faciendam praecipiuntur.

Millepedes, Araneae, Coccinellae, Lumbrici terrestres, Scorpiones, Apes, Formicae, atque Bufones exsiccatae, aut nil proficientes aut fere inertes, jamdudum nec immerito neglecti sunt.

Inter *Metalla*, plurima inveniuntur medicamenta, quae vi stimulatrice insigni nostra in corpora pollent; nec vero multa eorum ad Diuresin provocandam adhibentur.

tur. Nihilominus, olim hoc conſilio quaedam Argenti praeparationes et Chalybis, et quidem Cupri, praeſcribi ſolebant; itidem Antimonii praeparata, quod nonnihil ad urinam, multo magis vero ad ſudorem, eliciendum confert. Diureticis jure optimo accenſetur, et profecto omnia ſupereminet metallica Argentum vivum; " non " quod vim ullam ſpecialem habeat renes irritandi et " urinam movendi (bene enim notum eſt, id alias par- " tes aliaſque ſecretiones facilius et magis afficere) ſed " quia toti corpori, omnibuſque praeſertim partibus " ſecernentibus, ſtimulo eſt, qui haud difficulter ita " dirigi queat, ut quaſdam prae caeteris excitet [a]." Si enim, cum primum corpus actionem ſive irritationem mercurialem (ut loqui amat celeber. Hunter), hoc metallo adhibito, ſibi adſciverit, Scillae radix ſatis large aegro porrigatur, tamen ita, ut mercurii actio ſeu ſtimulus quaſi ad renes dirigi poſſit, hydragogum omnium fere praeſtantiſſimum evadit [b].

Inter

[a] Vid. Conſpect. Med. Theoret. § 1457.

[b] Vid. Theſ. Doct. D. Monro de Hydrope. Eodem ſpectat uſus Doct. Gregory.

Inter remedia Diuretica, nonnulli cum quadam recti ſpecie recenſent, certa externe applicata: Ea ſcilicet mitiora olea, quae ſummo corpori cum aſſidua fricatione admoventur. Illa, a tempore Doct. Oliver ad hoc uſque, cum fructu haud exiguo, qua in Aſcite, qua Anaſarca uſurpata ſunt. Hanc methodum credo, non niſi actionem abſorbentium intendendo, ſuos effectus, tam egregie laudatos, praeſtare; hoc enim fit, ut humor ante in cellulas, et extra ſanguinis circuitum depoſitus, denuo reſumatur, ac, acrimonia ſua et copia renes quodammodo ſtimulante, inde evacuetur.

Sunt praeterea alia ex omnibus naturae regnis comparanda, quibus urinam ad provocandam Medici uſi ſunt, quae plurima quidem, ut minima virtute nullave pollent, omnino praeterivi.

Neminem latet, quam difficile eſt, vires remediorum comparativas Diureticorum, periculis ex compoſito factis, ſtatuere. Aliter multa alias evenire ſolent: Namque, ut ſupra traditum, coeli calorem aut frigus temperies, corporis exercitatio aut quies, tam cutis conditionem

conditionem ejuſque ſpiramenta afficiunt mutantque, ut eadem Diuretica, alios, pro aliis circumſtantiis, effectus adminiſtrata edunt. Hac ſuper re, celeber. auctoris [a] tabulam, ex experimentis in ſe ipſum inſtitutis exſcriptam, ſubjiciam.

A Table of the different quantities of Urine always diſcharged in an equal time, viz. from Nine o'clock in the morning till Two o'clock in the afternoon, when an equal quantity of the ſame Liquid was drank, but with different Diuretics, in different quantities, diſſolved in it.

	℥	ʒ	℈
By ℔i ʒvijſs ſimple infuſion of Bohea tea, ſtandard - - -	15	4	0
By ditto, with ʒij ſal. tart. -	22	7	2
By ditto, with ʒij of ſal. nitre -	22	0	0
By ditto, with 4 drops oil of juniper -	20	3	0

By

[a] Vid. Dr Alexander's Experimental Eſſays.

	℥	ʒ	℈
By ditto, with ʒi ſalt of wormwood -	19	7	1½
By ditto, with ʒij Caſtile ſoap -	19	1	1
By ditto, with a tea ſpoonful ſpirit nitr. dulc. - - -	17	6	1½
By ditto, with 15 drops tinct. cantharid.	16	4	0
By ditto, with ʒij ſal. polychreſt -	16	3	0
By ditto, with ʒſs of uva urſi -	16	1	0½
By ditto, with ʒi magneſia alba -	15	5	0
By ditto, with ʒij of crem. Tart. -	10	2	0½

De Morbis, quibus conveniunt Diuretica.

Effectus eorum generaliores bifariam mihi ſpectare videntur: Is, nempe, qui ſanguinis mutet diſtributionem, iſque, quo humores aquoſi, circumactis ſpecialiter ex fluidis, vel corpore univerſo foras emittantur.

Ad primum quod pertinet; urinam moventia recte, ſaltemve quadam cum recti ſpecie, in ſanguinis congeſtione morboſa alicui parti corporis inhaerente, adhibentur; hoc enim fieri dicitur, ut ſanguis ex laborante alio, ad renes ſcilicet, derivetur. Hac ratione idonea fiunt remedia, ubi ſanguis, aut humor alius intra cranium congeſtus, apoplexiam, aut paralyſin, aut hydrocephalum minitetur.

Eadem

Eadem remedia, et pari quoque ratione, nonnulli in humorum accumulatione, aut vaſis in magnis prope cor aut minoribus per pulmones diſtributis, laudarunt. Eodem denique ſpectat eorum uſus, cum viſcerum ulla abdominalium (ipſos praeter renes) inflammatione correpta fuerint. His vero in omnibus exemplis, Diureticorum, vereor, ne adminiſtratio et uſus ſolum effectum ancipitem et ambiguum edituri ſint. Nec injuſto ambigitur, num acria aut quidem alia ſtimulantia remedia, ullo in tali caſu, intra ſanguinem tuto ducantur.

Porro, dicuntur proficere Diuretica, ſi quando ea copia ſummum corpus verſus determinatus ſanguis fuerit, quae vel ſudorem vel exhalationem per cutem aequo copioſiorem faciat. At recordandum eſt tamen, ſudores colliquantes ut plurimum ſolere, propter cutis ipſius vaſorum debilitatem, ac totius corporis compagem laxiorem, quibus profecto aegre ſuccurritur ab iis, accidere: Inſuper, haud paucis perſuaſum eſt, humores ipſos, hoc in ſtatu rerum, jam acribus nimis onuſtos eſſe; quapropter, non, ſine gravi incommodo, Diuretica,

tica, acria ſaltem, uſurpari poſſunt. Neque quidem haud probabile eſt, illa, rebus ſe ita habentibus, potius vias verſus jam patefactas quam ad renes directum iri; ideoque obfutura magis quam contra malum profectura eſſe.

Nonnullis demum collubitum eſt medicamenta Diuretica adverſus alvum citam et liquidam praecipere, uſus vero ſumma cura eget, caeteroquin, non ſolum non proſunt, ſed vere nocent; inteſtina enim laxa et irritabilia facile acria excitant: Et metus eſt, ne, aut primas ipſas vias ſtimulent, aut abſorpta et per ſecundas delata, ſecretionem muci inteſtinalis copioſam cieant, eoque alvi fluxum adaugeant.

Ex ſupra dictis, Diureticorum effecta datorum, quo ſanguinis curſus alio fiat, incerta, quinimo aliquando periculoſa, videntur: Eadem vero, quantum morbos reſolvere quoſdam valeant, adhuc incertiora exiſtunt. Quamvis enim febres, ut et inflammationes, interdum inſolito urinae fluxu ſolvantur, tamen, ſequela morbi jam reſoluti quam cauſa potius putanda eſt Diureſis.

Alterum effectum generale, Diureticis remediis exactum, certius et paulo conſtantius videtur; quamvis et hic multum abeſt, ut votis ſemper reſpondeat. Eorum uſus fluidorum morbidam, aut in corporis cavis majoribus aut in vaſis ipſis ſanguiferis, accumulationem ſupponit. Si latex nimis abundat in vaſis, ſique haec praecipue plenitudo, ſeroſa ſive parte humorum aquoſa, orta, vel ab exhalatione per cutem, vel ſudore ſenſim repreſſo, conſtat, Diuretica forſan proderunt. Iis melius proficiunt, qui corporis conſtitutione laxa et debili praediti ſint, aut qui temperamento phlegmatico gaudeant; eo magis, ſi aliquamdiu in regione calida, et ſimul humida vitam traxiſſent: Ibi enim frequentius iis, quae halitum cutis reprimant et ſudorem, obnoxii degunt. Porro, aegris conveniunt Diuretica, qui ſive ob debilitatem aliaſve cauſas, neque catharſin, neque ſanguinis amiſſum, neque ſudorem elicitum tolerare queant, quibus vero aliqua exinanitio liquido prodeſſe poſſit.

Poſtremo, adverſus aquam in tela corporis celluloſa ſubter cutem accumulatam, ſive cavis aliis majoribus depoſitam,

poſitam, ibique ſtabulantem, aliquando iſta profuerunt medicamenta. Maxime vero dolendum, eorum effectus adeo incertos et efficaciam multis in exemplis tantillam eſſe, ut Medici nunc fiduciae parum ils habeant [a]. Meminiſſe tamen juvat, jam quaedam nota quodammodo prodeſſe, aliaque fors lapſu temporis inventum iri, quae, virtute inſigniore imbuta, effectus laetiores praeſtitura ſint. Quoniam jam actionem Diureticorum ſupra reſpexi generalem, ſupervacuum cenſeo, ut fuſius hac de re nunc temporis diſceptem. Ad caetera, igitur, memet habebo excuſatum, ſi illam methodum accuratiſſime a Profeſſore Gregory enarratam, qua in Hydrope ſananda agunt, ipſis verbis prodiderim: " Multae demum exinanitiones, urinae imprimis " magnus

[a] Non memet hic refrenare poſſum, quin ſucceſſum nuper a Doct. Storer apud Nottingham expertum, in morbis Hydropicis herbae illius Digitalis purpureae uſu ſanandis, memorem. Doct. Franciſcus Smith neceſſarius meus epiſtolam ei a Doct. Storer miſſam nuper mihi comiter praebuit, in qua ut ſequitur ſcriptum eſt: " Some of " my patients are ſo much convinced that they live by the uſe of this " drug, that if they were told a ſupply of it was cut off, they would " give themſelves up for loſt."

" magnus fluxus, mirabiliter ſaepe proſunt augendo
" actionem vaſorum abſorbentium, quae humores ubi-
" que corporis exhalatos vel effuſos exhauriunt, et in
" ſanguinem iterum deferunt. Hoc interdum effici-
" unt, aliqua ſaltem ex parte, per ſuum ſtimulum, qui
" vaſa illa, pariter ac omnes corporis partes, ad novam
" et validiorem actionem cieat; ſaepius vero et magis,
" detracto vel diſſipato plurimo humore tenui qui in
" venis adfuerat: Unde brevi neceſſitas novi talis hu-
" moris ſubſidii, cui neceſſitati natura quam optime
" ſatisfacit, hauriendo quantum opus fuerit ex illo pe-
" nu qui maxime in promptu eſt. Bene enim notum
" eſt, in aliis etiam, neque morboſis, exemplis, quo
" major fuerit neceſſitas ſubſidii humoris tenuis ad di-
" luendum ſanguinem, eo plus talis humoris a ventri-
" culo per vaſa abſorbentia lactea hauriri, et in venis
" recipi, veluti in iis qui a calore aut valida corporis
" exercitatione, multum et diu ſudaverint. Hinc facile
" intelligetur adminiſtratio et uſus multorum remedio-
" rum evacuantium in ſanandis variis morbis Hydro-
" picis, in quibus, ut bene notum eſt, plerumque inſig-
" niter proſunt."

Denique,

Denique, ſcriptores, de re Therapeutica, diverſa enumerarunt vitia viarum, quas tranſit urina, quibus aliquando Diuretica accommodari et proficere poſſint. Inde ea maxime praecipere in gonorrhoea virulenta, calculo renali ac veſicali, inflammatione et ulcere eas obſidentibus partes, muci defectu ſeu vitio, &c. Illarum autem natura affectionum animadverſa, cernere perſpicuum eſt, eorum nulla, ſtrictius Diuretica remedia dicenda, tuto miniſtrari poſſe; et quae in morbis talibus dantur, ea magis vias ad oblinendas urinae, diluendos humores et emolliendos accommodari, quàm effectus vere ad Diureticos praeſtandos. Quae his conſiliis adhiberi conſueſcunt, Demulcentia rectius, quam Diuretica nominantur; et praecipue potibus blandis, tenuibus, variiſque rebus mucilaginoſis ac oleoſis conſtant: Huc Opium etiam refer, ea ratione adhibitum, ut doloris ſenſum minuat, vique ſedante morboſam ſedet vaſorum actionem.

De remediorum abuſu Diureticorum nil memorabo; utique ea, ſic ut alia praeſentia medicamenta, male adminiſtrata, effectus haud jucundos ſaepe edunt; omnes

corporis

corporis actiones, et organa praecipue urinaria, non parum laedunt.

Diſputationi huic medicae, cujuſmodi ſit, coronidem impoſituro, nunc tantum reſtat, ut omnes erga me benevolos toto pectore grater, certoſque pauculis nominatim compellem :—Imprimis tibi, JACOBE TOWERS, favere, et gratiam ſinceram, ob conſilia tua, quibus praeſentiſſimis me dignatus es, aliaque, per plures annos, benigne mihi facta, referre liceat.—Te pariter, GEORGI SPENCE, ſalvere plurimum jubeo: " Creſſa ne careat " pulchra dies nota," qua familiaritatem primum aſcivimus: Amicitiae nobis haud fucoſae ſemper creſcant, diuque vigeant!—Neque hic tui, JOANNES MACARTHUR, juvenis mihi care, immemor eſſe poſſum: Contubernii neceſſitudine per quinquennium fruitus, omnino indolem ingeniaque tua praeſtantia expertus ſum; verum indagare, et ſcientiam ambitioſe proſequi, mi amice, tuum ſemper, ut hactenus, ſit.—O teneam, neceſſarii

ceſſarii mei, ut, in Arte Apollinea exercenda, tantum voluptatis atque animi oblectationum vobis contingat, quantum et veſtris ingenio, et ſtudio, et diligentia haud dubie meruiſtis!

FINIS.

BRITISH
23 SE 86
MUSEUM